HUGO DE SANCTO VICTORE

Klosterneuburg 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

a dilectione dei recedit, et mali non efficiendo contrarium ipsius voluntati, sed amando contrarium eius dilectioni. Et sic quod semper voluntas dei impletur, et non excusantur mali. Propterea quoniam in eis et per eos voluntas dei impletur, quoniam non sua voluntate ad implendam divinam voluntatem diriguntur, sed occulta ipsius dispositione, quae aliud non possunt, ad implendam eius voluntatem conducuntur. Sed dicis item: Si deus ita voluit esse totum ut factum est, quoniam bonum est ita esse totum, et non aliter esse quam factum est, cur ergo praecepit quod non est factum, et prohibuit quod factum est, cum bonum sit utrumque, et factum esse quod factum non est, et factum esse quod factum est. Vel potius non praecepit ut hoc fieret solum quod esse bonum erat, et ut hoc solum non fieret quod non esse bonum erat similiter. Quare praecepit deus omne quod praecepit.

xii. Sed hic alteram causam et modum praecepti considerare oportet, et prohibitionis secundum eundem modum. Omne enim praeceptum vel prohibitio aut propter ipsum fit cui fit, aut propter ipsum a quo fit, aut propter alium pro quo fit. Tota autem praecepti utilitas et bonum, sive in eo quod faciendum praecipitur, sive in eo quod cavendum mandatur, ad eum solum refertur pro quo fit, sive idem sive ille sive alius ab eo cui fit vel ab eo a quo fit. Finis autem mandati fructus est et utilitas et causa, et bonum quod sequitur post consummationem praecepti, et hoc bonum ad eum tantum refertur pro quo fit praeceptum, et illius bonum esse debet impletio praecepti.

Omne quod bonum dicitur vel secundum se vel ad aliquid dicitur. Iterum considerandum est bonum. xiii.

Quoniam omne quod bonum dicitur aut secundum se bonum dicitur aut ad aliquid. Quod secundum se bonum dicitur substantialiter bonum dicitur, quia ipsum bonum est. Quod vero ad aliquid, et non secundum se bonum dicitur, non substantialiter bonum dicitur, quia ipsum bonum non est, sed accidentaliter et denominative, quoniam ex ipso bonum est. Quoddam ergo bonum bonum est quo ipsum bonum est. Aliud autem bonum est quia alicui bonum est, et ipsum bonum non est. Item quoddam ergo bonum est et sibi bonum est et alii bonum est, in toto bonum est. Quod autem bonum est et sibi bonum est et alteri bonum non est, ex parte bonum est. Sic quod bonum est et alteri bonum est et sibi bonum non est, ex parte bonum est.

Quod secundum se bonum dicitur et universaliter dicitur vere et summe bonum esse. xiiii.

Est adhuc aliud bonum et excelsius aliis bonis, quod vere bonum est, quia in se bonum est, et universale bonum, quia ad omnia bonum est et omnium bonum est. Quod enim in se bonum est summum bonum est, et quod omnium bonum est universale bonum est, et omne bonum ipsum est, quoniam omnium bonum ipsum est, nec extra ipsum bonum est. Quod autem ad se bonum non est, non vere bonum nec verum bonum est, sed bonum tamen dicitur, non quia ipsum bonum est, sed quia ex ipso bonum est et procedit. xv.

De tribus generibus boni.

Est ergo summum bonum quod ipsum bonum est et ad omne bonum bonum est. Medium vero bonum est quod ipsum bonum est et ad aliquid bonum est. Bonum autem infimum et quasi extraneum et denominative solum et eductum et non proprie bonum quod ad aliquid bonum est et ipsum bonum non est. Quod enim ipsum non est bonum non est, sed quod ex ipso bonum est, et necesse est aliquem modum et ipsum bonum esse, quoniam ex ipso bonum est et procedit. Et ex eo bonum est esse et quod bonum ipsum non est, quia non esset ipsum quod